



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Virgo Lavretana Commentariis Illustrata Sive
Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm**

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Septimum. Encomium Marianum Septimum. Mater Castissima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

mus *Mahometus* fidei nostræ hostis infen-
sissimus immaculatam Conceptionem af-
serit in suo *Alcorano* inquiens nullus nascitur
ex filijs Adam quem non tangat Sathan præter
MARIAM & Filium ejus.

CAPUT SEPTIMUM.

Encomium Marianum Septimum.

MATER CASTISSIMA.

MAgis eximisque præconijs lau-
dant veteres variarum heroicarum-
que mulierum suarum castimoniam, quæ
nimirum maluerunt morti se obijcere,
quam castimonijæ violationem perpeti, sic
teste *D. Hieron.* in Epist. II. ad *Ageruchiam*
Reginam Carthaginis Dido, magis ardere malu-
it quam *Hiarbæ Regi* nubere. Et *Hasdrubalis*
uxor quæ apprehensis utraque manu libe-
ris, in subiectum se præcipitavit incendi-
um, ne pudicitiæ damna sentiret: Et *Lucre-*
tia quæ amissa gloriâ castitatis noluit pol-
lutæ conscientiæ supervivere. Pari modo
summe extollunt castimoniam *Iosephi Æ-*
gypti Proregis sacræ litteræ: quam hoc

K 5

modo

modo ob oculos ponit Chrysostomus hom.
44. in Gen. tom. i. Considera ait Ioseph specio-
sum adolescentem, in ipso etatis flore tantam
castitatis constantiam præse ferentem, & sic ad
imitationem justi hujus auditores provocare
studeamus : Quis enim non miretur beatum
illum qui in servitute existens & in ipso etatis
flore, quando maxime fornax concupiscentia-
rum accenditur, cum videret Dominam suam
se invadentem, & insanientem in se, tantam
ostendit fortitudinem, & ita ad castitatis ago-
nem se exercuit ut ab intemerata illa mulie-
re nudus quidem vestibus profugeret, castitatis
autem indumentum servaret? Licebatque vi-
dererem novam & admirabilem, agnum in
lupi imoleenæ ungues incidisse, & salvari po-
tuisse : Et sicut columba aquile damnum effu-
git, ita & justus ab illius manibus effugit. Non
tam admirabile mihi videtur esse tres pueros
illos in medio Babylonicae fornacis ignem vi-
cisse illæsis eorum corporibus, quam mirabile
& rarum est, quod justus ille qui in fornacem
Babylonica multò graviore in incontinentiam
in quam egyptiæ incidit & intactus permanxit,
puroque castitatis indumento servato exiit:
Magna præconia, sed tantæ castitatis amo-
ri non

ri non indigna. Quod si tamen hujus Pro-
regis castitati gloriosissimæ Virginis Dei-
paræ castitatem comparare voluerimus,
infinitis quodammodo gradibus superabi-
tur, ut identidem repetendum veniat vul-
gatum illud de beatissima matre ut quem-
admodum in alijs, sic & in castitate : *Nec
primam similem visa est nec habere sequentem.*
Magnum est se ab omni contactu immun-
do immunem custodire : majus omnem
etiam appetitum delectationis carnalis ex-
cludere : At maximum nec ullam immun-
dam aut inhonestam cogitationem admit-
tere : Omnia hæc excellentissime habuit
beatissima Virgo Deipara, utpote in qua
juxta mentem Doctoris Angelici D. Tho-
mae Aquinatis fomes peccati (qui nihil est
aliud quam inordinata concupiscentia
sensibilis appetitus in quantum repugnat
rationi vel in quantum inclinat ad malum
vel difficultatem facit in bono) per abun-
dantiam gratiæ, quam per sanctificatio-
nem in utero recepit, remansit ligatus;
postmodum autem in ipsa Conceptione
Christi sublatus, & subtractus fuit.

§. I.

§. I.

ET quidem Beatissimam Virginem
mansisse virginem castissimam post
partum jam supra, abunde ut reor demon-
stratum est, cum ageretur de titulo virgo
virginum: ut non esset necesse ultra proba-
re, ne tamen hoc encomium transeamus,
aliquid jam dictis pro supplemento ad-
dendum erit. Castitatem Virginis Matris
vivo quasi calami sui penicillo adumbra-
recupiens, *D. Ambrosius*: Sit igitur inquit
vobis tanquam in imagine descripta virginis
tas vitaq; Beatæ MARIAE, in qua velut in spe-
cule refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi
tanquam in exemplari magisteria expressa pro-
bitatis quid corrigere, quid effugere, quid tene-
re debeatis ostendunt. Et paulo post *Quid in-*
quit castius eā, quæ corpus sine corporis conta-
gione generavit? Virgo erat non solum corpore
sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu since-
rum adulteraret affectum. Hæc ille lib. 2. de
Virginibus in initio. Pulcherrime etiam
hujus sanctissimæ Virginis castitatem ob-
oculos ponit, *S. Rupertus* commentans in
verba Canticorum: *Iunctur & fæminum tuo-*
rum

rum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis: Hoc modo dislerens: *Laus ista inquit lib. 6. in Cant.* *Laus magna vituperationi opposita est imo & acerbissimæ exprobationi illius ancillæ apud Ezechielem Prophetam dicentem ex ore Domini. Et divisisti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti fornicationes tuas.* Divisio vel divaricatio pedum ipsa est disjunction fæminum, valde vituperabilis, nimirum propter illud quod subintelligitur: Videlice propter multitudinem fornicationum. Et è contrajunctura fæminum ipsa est compositio vel continuatio pedum laudabilis, itemque propter illud quod intelligitur scilicet propter pudicitie pulchritudinem, salvatumq; ac bene custoditum castitatis sigillum, maxime in te ô singulairis & unica vel nobilissima Sunamitis, in te ô dilecta & dilectorum dilectissima, quæ prima sine exemplo juncitur am fæminum tuorum ita custodire proposuisti, ut virgo nulli unquam cognita vel cognoscenda viro, digna fieres coniungi tuae integratatis authori Deo. Quantum est hoc decus? quanta honestas? Igitur juncitur a fæminum tuorum sicut monilia id est virginitatis tuae integritas perpesq; pudicitie custodia celestibus praesidijs communita. Cujus est
hoc

hoc opus? cuius virtus? nimirum Dei altissimi. Dico igitur non qualiacumq; monilia, sed monilia quæ fabricata sunt manu artificis, id est quæ solus Deus facere & dare potest vel potuit.

Hæc in præconium castitatis virginalis Matris suæ sponsus cælestis. Et in illius verba commentans *Rupertus*: Prosequitur autem laudes sponsæ & præconia magis delineans, ejus pudicitiam ex hoc nimis quod non solum corpore, sed etiam mente casta nullam quidem adversam castitati cogitationem admiserit: *Vmbilicus* (inquit ergo sponsus) *tuus sicut crater tornatilis numquam indigens poculis*: In que verba citatus *Rupertus*. Et ista laus tua ô libera Sunamitis opposita est ancillæ vituperationi, quam apud jam dictum Prophetam Ezechielēm habemus his verbis. Et quando nata es non est præcisus umbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem. Quibus utiq; verbis luxuriæ superfluitatem vituperat: quia viris quidem in lumbis, fæminis autem in umbilico luxuria est, testante Domino qui de diabolo loquitur ad beatū Iob. virtus ejus in lumbis ejus & potestas ejus in umbilico ventris ejus. Igitur umbilicus tuus crater tornatilis, quid est nisi ac si diceret, perfecta

fecta est in te virtus castitatis & liberata es ab omni carnalis appetitu voluptatis: parum quippe fuisset ad laudem verae virtutis dixisse, juncta fæminum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis, nisi & istud diceret umbilicus tuus sicut crater tornatilis numquam indigens poculis, quia videlicet illo præcedenti versiculo solum denegatur opus sive effectus carnalis commercij: isto autem sequenti appetitus quoque cogitationis qui si inesset numquam veraciter diceretur umbilicus, sic præcisus, imo & circumcisus ut crater tornatilis neque adderetur adhuc numquam indigens poculis. Quidnam est umbilico non indigere poculis, nisi non viri vel sitire appetitum libidinis? Hinc enim per quendam sapientem dicitur. Sicut viator sitiens os suum ad fontem aperiet & ab omni aqua proximabit. Ergo tu ô Sunamitis ô filia Principis corde & corpore es casta, mente & carne integra & incorrupta, cogitatione & operem munda.

Et quid mirum beatissimam hanc Virginem fuisse inter omnes virgines castissimam: talem utique & non aliam decebat Deum accipere in matrem. Ex omni gentis humanæ numero, ex omnibus mulierum

ac virginum cætu, è tot centenis millibus,
imò è tot millionibus hominum, Deus uti-
que potestatem optionemq; habuit abso-
lutissimam eligendi in matrem quamcum-
que vellet, & quæ illi maxime placeret: si
quidem ab omni æternitate omnes omni-
no homines sibi præfentes habuit, singulos
exactissimè novit, ut qui omnium ac singu-
lorum corda penitissime scrutatur. Atque
ex his omnibus hanc Virginem elegit
in Matrem: Ergo absque dubio castissi-
mam, ergo verecundiæ ac pudicitiæ, om-
niumque virtutum laude cumulatissimam:
ergo sui amantissimam. Hinc Mellifluus
Bernardus virginis matris cliens integerri-
mus ac amator ardentissimus Electa inquit
ex millibus. Et sponsus in Canticis appellat
eam *electam ut sol:* Et denique Ecclesia S.
Mater nostra *Elegit canit eam Deus & præ-*
elegit eam. Id quoque nobis *Esdras expli-*
cavit qui Sionis electionem prædicans: lib.
4. cap. 5. Dominator Domine inquit ex omni
sylvaterræ & omnibus arboribus ejus elegisti
vineam unicam: Et ex omni terra orbis elegisti
tibi oveam unam: & ex omnibus floribus or-
bis elegisti tibi lilium unum: & ex omnibus
abyssis

abyssis maris replesti tibi rivum unum: & ex omnibus adificatis civitatibus sanctificasti tibi met ipsi Syon: & ex omnibus creatis volatilibus nominasti tibi columbam unam: & ex omnibus plasmatis pecoribus providisti tibi ovem unam. Ita prorsus Dei sanctissima Mater illa columba una juxta quod dicit sponsus in canticis una est inquit Columba mea, una est matris sue electa genetricis sue: Ipsa est vitis illa de qua ibidem dicitur: Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: Denique ipsa est lily illud de quo ibidem dicitur: Sicut lily inter spinas sic amica mea inter filias electa inquam ex millibus.

Doctor extaticus *Dionysius Carth.* vir-
ginis matris excellentissimam castitatem
adumbrare volens: & explicans immediate
ante citatum canticorum locum scilicet,
sicut lilyum inter spinas, sic amita mea inter fi-
lias: per spinas intelligit omnes alias virgi-
nes etiam sanctas præter beatissimam Vir-
ginem: per lilyum autem ipsam virginem
gloriosam hanc ob causam, quia quamvis
multæ fuerint sanctæ virgines, inter quas
etiam plurimæ præter virginitatis lauream
martyrij quoque gloriam sunt adeptæ, uti

Lunt

sunt SS. Barbara, Lucia, Catharina, Agnes, Fe-
bronia ac plurimæ aliæ , attamen respectu
beatissimæ virginis veri lilij, revera spinæ
fuerunt: quantumvis enim sanctæ in se fue-
runt, spinæ tamen erant respectu aliorum
quorum corda ad sui concupiscentiam &
impudicum amorem incitabant ; sola ab
hoc libera Beatissima Virgo , quæ non so-
lum nullius cor, quamvis etiam corporali
constitutione pulcherrima esset ad con-
cupiscentiam aut illicitum sui amorem in-
citabat, sed etiam suo intuitu ad tempus il-
lorum libidinem extinguebat: verba Do-
ctoris citati sunt cap. 2. art. 8. in Cantica.
*Quamvis fuerint multæ virgines sanctæ qua-
rum quedam Martyrij palmam sunt adeptæ,
tamen respectu hujus unicæ virginis singula-
ris amicæ sponsi quasi spinæ fuisse videntur in
quantum aliquid culpæ habebant, & quamvis
in se fuerint mundæ non tamen fuit, in eis fo-
mes peccati prorsus extinctus, fuerunt & alijs
spinæ, qui ex earum intuitu mucrone concupis-
centiæ pungebantur : quamvis ipsæ virgines
sanctæ non fuerint in hoc ipso culpabiles. Porro
haec unica Dei dilectissima Virgo totius super-
beatissime Trinitatis media, amica, ac socia, ab
omni*

omni culpa fuit prorsus immunis, in ea fomes
fuit plene extinctus, & tam intensissima chari-
tate erat repleta, quod intuentium corda sic pene-
travit sua inestimabili charitate virginea,
quod a nullo potuit concupisci, immo potius ad
horam extinxit illorum libidinem. Et res il-
la de alijs sanctis virginibus est manifesta:
nam quamvis sancta esset *Agnes*, imo in ri-
gore loquendo adhuc innocens, eò quod
non excederet duodecimum ætatis an-
num, spina tamen fuit filio præsidis, cuius
cor mucrone concupiscentiæ pupugit,
dum pulchritudine sua eum ad impudi-
cum sui amorem accendit: sic sancta quo-
que erat *Pelagia Martyr*, quæ tamen
cor filij *Diocletiani* in tantum in sui amo-
rem accendit, ut cum videret se eam in
matrimonium habere non posse, ipse sibi
violentis manibus mortem inferret: Et in-
numera talia habent historiæ.

§. 2.

Nec in hoc sttit castissimæ Virginis
castimonia, & pudicitia, quod non
potuerit ab alijs concupisci impudice, sed
adhuc eorum si quando impudico arde-
bant amore ipsa suo dulcissimo intuitu, li-

L 2

bidi-

bidinis ardorem in eis extinguebat: suis oculis basiliscus venenum instillat, & eo instillato illum cui instillavit perimit. Contra beatissima virgo venenum cupidinis & Veneris suo dulcissimo aspectu & sacratissimis oculis pellit & perimit. Notavit hoc ipsum in suo MARIANO Psalterio Seraphicus Bonaventura psal. 85. Fons bonitatis tue (air ibidem ad Beatissimam Virginem) inebriat sitientes & aspectus faciei tue retrahit à peccato: nimurum in toto corporis & aspectus hujus B. Virginis dispositio-
ne verecundia & pudicitia relucebat: Verecunda sermone inquit Ambrosius eos solita vi-
orum cætus invisere, quos misericordia non e-
rubesceret neq; præteriret verecundia: Primus
est pudor, qui in ipso cognitionis ingressu Domi-
ni Matrem commendat legentibus & tanquam
testis locuples dignam, quæ ad tale munus elige-
retur astruit, quod in cubiculo, quod sola, quod
salutata ab Angelo tacet, & mota est in introi-
tu ejus, quod ad virilis sexus speciem peregrinam
turbatur aspectus virginis. Itaq; quam-
vis esset humilis præ verecundia tamen non re-
salutavit.

Commendat hanc ipsam Virginis ve-
recun-

recundiam summopere Sponsus cœlestis
cap. i. Cantic. *Pulchræ inquit sunt genæ tuæ*,
sicut turturis collum tuum, sicut monilia quæ
verba explicans Tuitienfis Antistes Ru-
pertus : pulchritudo ait tua pudicitia est quæ
multum apparet & spectabiliter reluet in ge-
nis tuis, quia non foris vagaris oculis, sed sicut
soli vagabavis castissima turtur solitudine de-
lectaris, & solitariamente angelus invenit atq;
salutavit. Non ita pulchræ sunt genæ mulieris,
qualem sapientia denotat: ornatu inquiens me-
retricio preparata ad capienda animas garru-
la & vaga, quietis impatiens, nec vatens in do-
mo confistere pedibus suis. Verum ut taceam de
eiusmodi: pudicarum omnium virginum, vi-
duarum atque continentium pudor sive pudici-
tia, religiositas aut verecundia, tuis genis, tuis
oculis comparata, non est verecundia, non est
pudor, non est aut vix meretur dici pudicitia.
Et alio item loco, idem sponsus cœlestis
manifesti⁹ hanc eandemmet verecundiam
in sponsa deprehendens: *Sicut fragmen mali*
punici ita genæ tuæ inquit absque eo quod in-
trinsecus latet: can. 4. dicunt autē medici ei-
bo mali punici seu malogranati, quod idē
est corpora non nutriri, sed eo sic utendum

L 3

opinan-

opinantur, ut medicari potius, quam alere videantur. Nimirum optime hęc quadrant in genas beatissimæ Matris, quarum nimirum pulchritudo non alat flamas libidinis aut impuri amoris, quin potius tanto igni sedando & extinguendo medicinæ vicem subeant: Ita inquit Rupertus super hūc locum genæ tuæ sicut fragmen mali punici id est verecunda es sicut decet virginem, longe dissimilem filiabus illis, quarum cuilibet dicendum fuit, frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Fragmen mali punici, & rubet, & amplius quam integrum malum redolet: sic tu & singulariter verecunda es & multis per bonam opinionem in bono exemplo proficies. Quid autem est dicere absque eo, quod intrinsecus latet nisi ac si diceret & illud quod intus in conscientia latet amplius laudabile est? O vere laudabilis verecundia, ubi & intus conscientia munda & foris facies verecunda est. Nam ubi est aliquid quo mens erubescat non adeo laudabile est, si conspectam faciem rubor perfundat. Igitur tua verecundia, quid est nisi religiositas summa? & haec virtus sine dubio debuit malo punico assimilari, quia gratioſa est intuentium oculis & interdum suo silentio, non minus adificat

ædificat quam sermo prædicationis. Vnde in tunica pontificis deorsum ad pedes ejusdem tunicae facies inquit Dominus ad Moysen per circuitum quasi mala punica ex hyacinthopurpuracę coco bis tincto mixtis in medio tintinnabulis, ita ut tintinnabulum sit aureum & malum punicum, rursumq; tintinnabulum aureum aliud & malum punicum: & vestietur ea Aaron in officio ministerij sui ut audiatur sonus quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu Domini & non moriatur. Illud factitium malum punicum rubicundum erat, utpote non ex solo hyacintho, qui color aëreus vitam significat cœlestem: verum etiam & ex purpura, & coco bis tincto factum. Et ita genæ tuæ ò dilecta verecunda & magistra competentis verecūdiæ: cuius verecundia tanto est laudabilior, quanto conscientia gloriosior, tutior atque securior. Ut non immerito sancti Patres in suis temptationibus carnalib^o ad unicam huius sanctissimæ virginis etiam depictam solum effigiem confugerint, & solatium ac subsidium invenerint: Ad hunc igitur pudicitiæ, castimoniacæ & verecundiæ fontem sitibunda quoque properet anima nostra: quoties caro titillat & venenum suum per cogitationes

tiones nobis instillare contendit : suspirerous ad eam cum p̄ijssimo illo ejusdem cultore hisce eam verbis affantes. Per eximiam illam & admirabilem pulchritudinem tuam dulcissima Mater & Virgo excellentem omnem mundi rerumq; creatarū pulchritudinē, quam sol & luna mirantur , cuius intuitus à peccatis retrahit libidinis flamas extinguit , ejus ē cordis nostri penetralibus quidquid sordidum & minus decorum est: illuminat tenebras nostras interiores radio splendoris tui, ut vitijs dissipatis atque deletis , pulchritudinem tuam pure contempleremus. Ostende nobis precamur decoram faciem tuam cuius aspectu suscitentur in nobis inextinguibles castimonia affectus, inhereat mentibus nostris amabilis illa castimonia, fotrix pulchritudo tua, posside atque penetralia cordis nostri purissimus, tui filijque unigenita cui amor in perpetuum.

CAPUT